

& 24. Idem docent Pseudo-Christiani, qui à *Fausto Socino* nomen sortiti sunt. Hi enim in Catechesi Racoviana ad quæstionem, utrum ad publicum docendi munus in ecclesia peculiaris vocatio requiratur, negative respondent. *Osterodius* etiam in institutionibus Germanicis cap. 44. ita scribit: Es ist nicht nöthig / daß / Da zu jeziger Zeit jemand das Evangelium prediget / ja wenn ers schon nicht durchaus verstünde / daß er gesandt sey / vielweniger daß er seine Sendung beweisen müsse. Ex his satis apparet, ex quorum scriptis epistolarum Theosophicarum autor suam de vocatione ministrorum ecclesiæ sententiam hauserit, & quos sententiæ ejusdem patronos habeat.

§. IX. Nunc ordinis ratio monet, ut pauca respondeam ad ea quæ in epistolis illis adversus *mediatæ & ordinariæ vocationis necessitatem* præcipue opponuntur. Hanc nimium infringi sibi persuadet, quando in scriptura sacra *omnes* in universum vere credentes & *regenti vocantur sacerdotes*, unde etiam colligi posse putat, omnes posse, absque vocatione per homines facta, publice in ecclesia docere. Hinc Part. II. p. 246. Das Melchisedesche Priesterthum / inquit, ist allen gemein. Probat hoc passim ex locis Scripturæ sacre, ubi Christiani vocantur sacerdotes, v. g. 1. Pet. II, 9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, ut annuncietis virtutes ejus, qui vocavit vos.* item Apoc. XX, 6. *erunt sacerdotes Dei & Christi & regnabunt cum eo,* respicit simul ad Apoc. I, 6. cap. V, 10. Part. II. p. 200. Ex Joh. XV. & 1. Johann. III, 16. Part. I. p. 235. item Part. I. p. 185, & Part. II. p. 228. exemplis Abrahama-